

1501. 8. kalend. Septembris

Ex Tom. IX Act. Concil. Coll. Haro  
fol. 1546.

443.

Alexander Papa VI.

Constitutio de baptismo Ruthenorum noniterando.

Edidit Odericus Raynaldus, ex Sigismundo de  
Herbestein; unde is autem accepit, non liquet.

78

Alexander episcopus, servus servorum  
Dei ad perpetuam rei memoriam.

Non sine grandi et spiritali mentis nostrae letitia  
accepimus, quod nonnulli Rutheni in Ducatu Li-  
tuaniae, et alij ritu Graeco viventes, fidem tamen  
Christianam alias profitentes, qui Wilnensem,  
ac Chioviensem, Ludzeronensem, et Medincensem,  
civitates et dioceses, ac alia loca ejusdem ducatus  
inhabitantes, sancto Spiritu, cooperante, illustritati  
non nullos errores, quos haecenus ritu et more Gre-  
corum viventes observarunt, penitus ab eorum men-  
tibus et cordibus abdicare, et unitatem fidei Catho-  
licae, et Latinae Romanae ecclesiae amplecti, et se-  
cundum ritum ejusdem Latinae et Romanae ecclesiae  
vivere desiderant, et proponunt. Sed quia more Gre-  
corum scilicet interfecta persona baptizati fuerunt,  
et nonnulli asserunt eos de novo baptizari debere,  
praedicti, qui ritu Graeco haecenus viserunt, et ad-  
huc vivunt, tamquam antea vite baptizati re-  
nuunt, et recusant de novo baptisma suscipere:  
Nos qui ex commisso nobis desuper, licet

in-sufficientibus meritis, officio pastorali, cupimus sin-  
gulas oves nobis commissas ad vitam civile Christi  
perducere, ut fiat ex illis unus pastor, et unum ovile: et  
ne S. Catholica ecclesia diversa et deformia membra  
a capite discrepantia, sed conformia habeat; attenden-  
tes, quod per felicis recordationis Eugenium Papam  
IV. predecessorem nostrum in concilio per eum Flo-  
rentiâ celebrato, et in quo Græci atq; Armeni una  
cum Romana ecclesia sentientes interfuerunt,  
definitum fuit formam huius sacramenti bap-  
tismatis existere: Ego te baptizo in nomine Pa-  
tris, et Filij, et spiritus Sancti: Amen. ac etiam per  
illa verba, Baptizetur talis servus Jesu Christi  
in nomine Patris, et Filij et Spiritus Sancti: vel  
Baptizetur manibus meis talis, in nomine Pa-  
tris et Filij, et Spiritus Sancti, verum perfici bap-  
tisma, quoniam ejus principalis causa ex qua  
baptisma virtutem habet, sit Sancta Trinitas, in-  
strumentalis autem sit minister, qui tradit est ejus  
sacramentum, sic exprimitur actus, qui per ipsum  
execetur minister, cum Sanctæ Trinitatis invocatio-  
ne perficitur sacramentum: et propterea huiusmodi  
sacramenti, sic in tertio persona collati reiteratio-  
nem necessariam non existere, habita etiam super  
hoc cum fratribus nostris deliberatione maturâ  
Auctoritate Apostolica nobis et alijs Romanis

Pontificibus ab ipso Christo Jesu Domino no-  
 stro prebratum Petrum (cui et successoribus eius  
 Apostolatus Ministerij dispensationem commisit)  
 tradita, tenore presentium decernimus atq; decla-  
 ramus, omnes et singulos sic interea personas  
 baptizatos, volentes a vita Græco ad vitam et morem  
 Latine et sancte Romanæ ecclesiæ venire, sim-  
 pliciter et sine alia contradictione, aut etiam obli-  
 gatione, vel coactione, quod iterum rebaptizentur,  
 etiam cum intentione, quod alias ritus per  
 orientales ecclesiæ observari solitos hæreticam  
 pravitatem non concernentes observare possint,  
 facta prius tamen per eos omnium errorum  
 rituum Græcorum a Latina et Romana ecclesiæ  
 et illius ritus et sanctis institutionibus devian-  
 tum, abjuratiōe, admittendos fore. Exhor-  
 tantes etiam perviscera misericordiæ Dei  
 nostri, omnes et singulos, qui predicto modo  
 baptizati sunt, et ritum Græco vivunt, ut abnegata  
 omnium errorum, que secundum morem  
 et ritum Græcorum hætenus observarunt, quicq;  
 ab immutata et sancta Catholica Latina  
 et Romana ecclesiæ, et illius, sanctorum pa-  
 trum institutionibus approbatis devient,  
 velint eidem Catholicæ Latine ecclesiæ,  
 illiusq; salubribus documentis pro anima  
 eorum

animarum suarum salute, et veri Dei cogni-  
tione ad herere. Et ne eorum sanctum propo-  
situm quovis modo retardari possit, venerabili  
fratri nostro episcopo Vilsnensi in virtute sancte  
obediencie committimus et mandamus, quate-  
nus omnes et singulos sic baptizatos, et ad  
unitatem prefate Latine ecclesie venire,  
et errores predictos abjurare volentes, ad pre-  
fate Latine ecclesie unitatem, et errorum  
huiusmodi abjuracionem, per se vel per alium,  
seu etiam alios, seculares prelatos ecclesias-  
ticos seu Predicatores, aut minorum ordinum  
regularium observantie, professores doctos, et pro-  
bos, ac alios idoneos, quibus id duxerit com-  
mittendum, singulos prefatos, sic venientes,  
ab excessibus propter observationem huius-  
modi errorum, ac heretica pravitate inde pro-  
veniente, nec non excommunicationis senten-  
tia, alijs que censuris et penis ecclesiasticis,  
quas quomodo libet propterea incurverunt, dicta  
auctoritate Apostolica absolvendi, ac eis pro  
modo culpe penitentiam salutarem injun-  
gendi, aliaque in premissis necessaria fa-  
ciendi, plenam et liberam licentiam et  
facultatem concedimus, per presentes.

Verum quia

Verum quia difficile foret presentes nostras  
 literas ad singula loca, ubi opus fuerit, facere  
 deferre, volumus, & eadem apostolica aucto-  
 ritate decernimus, quod earundem litterarum  
 transumpto, manu alicujus notarii subscripto,  
 & sigillo prefati Wilnensis, seu alicujus epi-  
 scopi, vel prelati ecclesiastici munito, eadem  
 fides prorsus adhibeatur in iudicio & extra  
 ac alias quilibet, ubi fuerit exhibitum  
 vel ostensum recipiat & admittat, ac tam  
 sibi quam illi vel illis, euj vel quibus,  
 quoties expedierit, id duxerit commitendum,  
 sicut ipsis literis originalibus adhibetur,  
 si forent exhibitæ vel ostensæ. Non obstan-  
 tibus. &c. Datum Romæ apud sanctum  
 Petrum, anno Incarnationis Dominicæ  
 M. D. I. Kalend. Septembrijs Pontificatus  
 nostri anno decimo.

*[The text on this page is extremely faint and illegible due to fading and bleed-through from the reverse side. It appears to be a dense Latin text, possibly a canon law or a treatise, with several lines of script.]*



